Angela Febronia.

Treteri Andreae: Vera effigies Illmae ac Excellentissimae D. D. Angelae Febroniae Wielopolsciae.

Vera Effigies

ILLVSTRISSIMÆ & EXCELLENTISSIMÆ
Dominæ,

D. ANGELÆ FEBRONIÆ,

De Zbaraz in Porycko Principis
WIELOPOLSCIÆ,

ILLVSTRISSIMI DOMINI,

D. IOANNIS

De Pieſkowa Skała Wielopolſki,
Regni Dapiferi, Biecenſis Bochnenſis, &c.
CAPITANEI,

Dilectiſſimæ Sociæ
Inter Mortales etiam Vmbras
Natiuo Virtutum Decore effulgens


Properante Calamo
Per ANDREAM TRETERVM, Acad: Crac: Stud.
Tranſſumpta & adumbrata.

Ac Circa Suprema Biecìæ Parentalis Pompæ Officia
In Ædibus Franciſcanorum Strictioris Obſervantiæ.

Publico Spectaculo
Præſentata
Anno Domini, 1663. Die 17. Sept.

In Officina Typographica Caſimiriæ ad Cracouiam BALTHASARIS SMIESKOVVICZ.

In Vtrumq; Illustrissimæ Vielopolsciæ Stemma
Paternum Koniecpolsciorum & Maternum
Ducum in Porycko de Zbaraz.



Quisquis fixa vides mæstis hæc Stemmata Tumbis,
In Spolium Morti ne cecidisse puta
Discerpi SOLEA, eclipsari CYNTHIA nescit.
Rident Fatales hæc vtraq; Arma minas.
Illa Triumphatæ potius sunt Symbola Parcæ
Pulchraq; de Victâ Morte Trophæa ferunt.
Nam SOLEA æternam monstrat se attingere Metam
Et LVNA exacto Plenior Orbe Micat.

PANEGYRICVS.

SI quando immitis Lethi crudele imperium, aut pluribus vapulare querelis, aut iustioribus percelli meruit Diris, hoc sanè tempore, quo rapace nimium dextrâ, in vna Illustrissima ANGELA FEBRONIA Wielopolska Ducissa de Zbaraz in Porycko, de tot Illustrissimis Prosapijs, Opima ducit spolia, & Triumphales planè occupat manubias: Quantum enim publica laborarunt vota, vt Decus hoc ad longam sequentium ætatum porrectum seriem, anhelos mundi impleret affectus & stupores? Attonitamq; diu virtutum miraculo suspenderet Sarmatiam? Sed ecce lubricas præcipitis Fati vices! Seruatum tot sæculis Pignus, Momentum intercipit; & quas indulgens Genio suo Amor, Heroinæ huic annorum struebat Iliadas, paucæ horæ inopinâ vertigine conuoluunt. Lentius sanè premunt, si quando mæstis incumbunt, lenti casus; & aliquod mali ex morâ censetur solatium, dum maturæ ruinæ ijsdem saltem adrepunt spatijs, quibus incrementa surrexerant; nunc heu! propera in luctus Nostros malignantis Fati vis, vrget breui ingentia funere, & sæculorum Partum, sæculis ex voto publico, immò perennitati sacrum, modicis elidit interuallis. Longam nimis (aiebat Seneca) malis properantibus moram dedit, qui diem dixit; Momentum in vastas clades sufficit, & per exigui temporis rimas, ingens dolorum caterua cito penetrat, numerosisq; Luctuum examinibus Orbem inundat. Conferte oculos in hanc feralis sarcophagi molem, in hanc communis solatij voraginem; quam tenui loculo arctantur spes vastæ! clauditur expectatio in immensum tensa, & vota per annosæ prosperitatis imagines errantia! Hîc ille tot Principum sanguis, tantis Ducalis Purpuræ suffusus muricibus decolori pallet situ! Hic illud Orbis Sarmatici iubar, Heroidum sidus, Charitum delicium inexpectatis mersum linquitur cineribus! Hîc illa pietatis forma, Pudicitiæ typus, Coniugalis Amoris exemplum, vrbanissimæ

humanitatis ſpeculum, mortuales errat inter vmbras. Nimis ſanè blandus Fatorum æſtimator fuit, quisquis illa certo æternoq; Ordine ſinuari aſſeruit: vel hæc ipſa teſtatur vrna quam turpiter erret, vagáq; licentiâ feratur Fatum, quod ſplendidiſsimum Magnarum Familiarium Iubar, ferali caligine inuoluit; quod ſuauiſsimos Sarmatiæ lepores, præcoci nimium ictu abrupit. Sed quorſum vanos conſumimus gemitus? & ſurdam inceſſendo mortem, irritis doloribus cauſas doloris irritamus? Parentent lacrymæ his, quibus omnia triſti depereunt letho, & nullis poſthumæ memoriæ reliquijs vita ſimul & Fama, eodem clauduntur buſto: Magnas mentes alius decet color, vt pote quas temporaria mors meliori vitæ conſecrat, & de ipſa mortali fauillâ, pulchro germine æternitati parturit. Sic Princeps ſiderum quotidianis extincti luminis exequijs, in ortus ſuos deducitur; ſic Æmula fratris Phæbe, menſtruis conſumpta decrementis, in nouas faces reaccensâ luce adcomitur; ſic totus Siderum cultus, reſcindens ſepulturam ſuam, interficiens mortem ſuam, rediuiui ſplendoris lege remigrat. Cognatus enimuero ſideribus Animarum vigor eſt, à furtiuâ nempe Promethei flamma per mortalium pectora incandeſcens; hinc etiam ſidereo agitur impetu, & per occiduas mortis vias, in æternæ vitæ ortus attollitur: hinc ipſos fæcundat cineres, & abrupto Parcarum inuidiâ vitali ſtamine, non adeundam Parcis melioris vitæ orditur telam. Liceret vtinam nunc mortali oculo immortalia irrumpere, & per patulos ætheris ſinus, in abſtruſa æternitatis penetralia inferri; Occurreret mirantibus auguſtâ ſpecie, iam ſeipsâ maior Illuſtriſsima ANGELA FEBRONIA: non Elyſijs vagabunda campis, vbi fabuloſæ Architecta ſapientiæ Poëſis Magnorum manes detruſit; non inquietis lacteæ viæ inſerta circulis, vbi Heroum animis Tullius manſuras ædes & latifundia commentus eſt; non intra anguſtum Gentilitiæ Lunæ Orbem fixo arctata domicilio, vbi totas gentes cauâ illâ Cynthiæ mole claudi Anaxagoras vanâ credulitate ſparſit: Sed totis beatæ æternitatis (vti piè credimus) inerrans ſpatijs, toto ſpatioſa Olympo, iam verè ANGELA cum cognomini cæleſtium Spirituum agmini ſuccenturiata. Verum quoniam auara Magnarum mentium Cuſtos Æternitas, negat noſtris ſua Lumina profanari Luminibus, vt ſaltem aliquo

aliquo repræſentationis delinimento ſopiatur, accenſu-propero Illuſtriſsimæ ANGELÆ FEBRONIÆ raptu dolor, Siſtam genuinam eiuſdem Imaginem, per ipſas offuſæ mortis vmbras magis effulgentem, & ſub fatali vltimæ rerum omnium lineæ lima, venuſtioribus virtutum politam lineamentis. Dabitis non vanos planctus, ſed debitos plauſus operi, me dia in morte, mortem eluctanti, & ſub ipſa etiam Fatorum nube conſpicuo, quaſq. ſibi olim Scenicus ille Orbis ac Imperij Monum benè egiſse viſus, nundinari volebat Cæſar acclamationes, Illuſtriſsimæ ANGELÆ FEBRONIÆ potiori iure transſcribetis.

PRincipum mentes vti communem vulgarium animorum habitum ſupergreſsas, penitius ſcrutati altioris Sapientiæ Myſtæ, credidêre aut fauentis naturæ manu, è nobiliore ductas vrnâ ac origine, aut potiore adcomptas paratu: Hinc Plato Heroum animos, à populari terræ ſecretos puluere, quibuſdam ditioris metalli venis induit; Hinc Claudianus iiſdem feliciorem ætheris portionem, immò ipſius Diuinæ auræ particulam appreſsit Sed mihi ad humanæ conditionis ſtatum, & veritatis placita attentius incumbenti, tametſi certum ſit à ſola Omnipotentis manu, animarum fluere propaginem; nec in eorum Ortus, ac ſubſtantiam quidquam de mortali commigrare materie; ita tamen cenſeo Heroicum illum ſanguinem, quo ſocio concatenatæ tenentur corpori, Magnos ad Magna impetus animis inſpergere, & Maiorum igniculos, pulchrâ ſanguinis transfuſione deriuatos, per Nepotum genios ſcintillare. Ita inclytus Illuſtrium Virorum Cruor, veluti congenitis fæcundatus virtutibus, etiam in ſuccedaneâ naſcentium ſerie effloreſcit, ac eorum mentibus quorum cunas alluit, Auos Atauoſq; infert, & miro naturæ ludentis artificio, hæreditaria quædam virtutum lineamenta cordibus imprimit ſeu rectius pulchro, ipſiuſmet generoſi ſanguinis conchylio depingit. Illuſtre hoc artificis naturæ Opus, & effigiata paruo in compendio, tot Principum, tot Ætatum Decora, aſpexit & ſuſpexit Orbis, dum in vnâ Illuſtriſsimâ ANGELA FEBRONI-A Duce de Zbaraz in Porycko Wielopolska ac eius ſanctiſsimis moribus, vtriuſq; ſtirpis impreſsos Maiores, viuam ſui virtutumq; ſuarum ſpeciem, cribrare miratus eſt. Proſtabat in illo renidentis oris auguſtali quidquid olim anteacta-

rum ætatum meruit plauſum, ſolicitauit inuidiam; Legebantur ex ipſis pudibundi vultus genis Magnorum Ducum ac Procerum purpurata agmina, generoſi ſanguinis murice per caſtiſsimas malas varegata. Iactent fabulæ prognatam è prurientis cerebri ſomnijs Pandoram, quæ totâ Deorum exculta ambitione, ſimul omnium fauores, ſimul omnium rapuit & fulgores; portentoq; illi figmentis nobiliori quàm ornamentis Orbis aucupentur venerationem. Iactent Argentinenſes famoſum Iunonis Laciniæ ſimulachrum, in cuius effigiem Zeuxis delibata ex omni virginum choro pulchritudinis congeſsit lenocinia, ac idolo ſuo decerptis è natarum ſuarum ſpecie floribus tumido, acclines ſubmittant poplites. Digniore ſpectaculo Sarmatici Orbis hæſit admiratio, non à vanis fabularum pendula commentis, non fucatis colorum illuſa pigmentis, ſed viuâ Illuſtriſsimæ WIELOPOLSCIÆ attonita virtute; quam per domeſtica auiti ſanguinis increſcentem lumina, ſic propria bonæ mentis illuſtrauit habitudo, vt Maiores ſuos moribus refingeret, collecta tenens Omnia quæ ſingulos beauerant. Inſignis hic profecto reciprocantium inter ſeſplendorum viſebatur concurſus, dum Illuſtriſsima ANGELA FEBRONIA Maieſtati generis & ſanguinis conſona, gloriā quā de nobiliſsimis KONIECPOLSCIORVM ac Ducum de Zbaraz in Porycko familijs hauſit, alternante virtutis æſtu ijſdem refundit; dum Nomen Auorum qui ſe primum in pectore Illuſtriſsimæ Angelæ ſuo ſanguine ſignauerant, Viuidioribus geſtorum coloribus irradiat, & fatorum exemptum iniuriæ noſci poſt fata facit: dum Auctores Sanguinis non modo genere ſed virtute refert, & pulcherrimos tot Procerum flores in ſe colligens, Domeſticæ gloriæ orbitam ſæculorum ambitum complexam, ad Vnam & ſummam redigit periodum. Quid mihi iam Vanis capta ſtuporibus Antiquitas, quæſita prodigioſæ artis aut naturæ oſtentas miracula? fuerit magnum & mirabile, clauſas vno Pyrrhi Achate cum ſuo Apolline luſiſse Muſas; fuerit magnum, Parthenium Vndecim millium exercitum, ingenioſâ manu, ad vnius annuli deductum ſtatiua, exiguâ hybernaſse in gemmâ; fuerit magnum integram Homeri Odyſseam leui inſertam membranæ, vix totum nucis impleſſe putamen: Maiore Illuſtriſsima ANGELA FEBRONIA WIELOPOLSCIA Sarmatiam ſtupefecit prodigio, cum egregio morum contextu

pul-

pulchram germinis sui referens speciem, innumeros pæne Proceres Orbi reddidit, & quos iam fata sepulchrali cespite obtriuerant, mirâ sagacissimæ virtutis arte, innouatis eorundem gestis quadamtenus animauit. Inter maxima Iuniæ Bruti sororis, Cassij vxoris ornamenta, summus politicâ sapientiâ recensuit Tacitus, funeri illius viginti clarissimarum familiarum prælatas imagines anteiuisse; sed quænam obsecro gloria est, extremis suis mutas statuas circumdare? & inanimum cadauer, inanimi imaginum comitatu sepire? quænam gloria, ad rogum & bustum, inter pictos Auorum vultus procedere, ligneamque aut marmoream simulachrorum turbam parentalibus officijs adsciscere? quasi vero mortuorum effigies mortem fugent, & non satius prorogent: Hæc demùm gloriosa pompa, hic felix comitatus est, quo se Illustrissima WIELOPOLSCIA toto vitæ decursu incinxit; quæ clarissimos Maiores non adscititio colorum fuco illitos, non docilis torni ingenio fabrefactos, sed magistrâ virtute in præclaris actibus elaboratos circumtulit, & viuam spirantemq; eorum imaginem, morum lineamentis expressit. Verùm næ festinam de tam insigni ac tot luminum ferace Tabulâ manum subducamus & aciem, libet pleniore visu, magnas Heroinæ illius delibare Dotes, & quonam architectante, adeò Illustre opus feralibus etiam inuiolatum vmbris surrexerit, paucis ostendere. Geminos olim accepimus arte famâque summos pictores, Protogenem & Apellem, ingeniosi penicilli periclitatos vires, in vnius tabulæ arenam, æmulam artem contulisse, & peritiæ famæque suæ circum intra angustos illius plani limites descripsisse: Nec verò eisdem cura aut studium, Deorum Numina specioso colorum vinculo innectere, non Regum Tyranorumq; vultus, ad posterorum spectacula aut odia propagare; solis certatum est subtilibus lineis, ipsâ tamen sui tenuitate, in grande nominis & artis monumentum surrecturis. Primam duxit ille, qui nullam diem exegit sine linea, insolens otij, multus gloriæ Apelles, cui reuertens Protogenes, dum alio colore tenuiorem aliam superducit, vinci erubescens Apelles tertio colore lineas secuit, nullum amplius relinquens subtilitati locum. Seruauit Gentium Domina opus, ob contractam in angusto artis maiestatem augustius, & sæpè Theatris illatum, tantò auidius spectauit, quantò minus aspectabile patuit, spatiosiore amplitudine, nihil aliud continens quam lineas visum effugientes. Pendeat vt lubet vnius

 admi-

admiratione defixa tabulæ Vrbs orbis Princeps, adpallescat stupens picturæ, ipsâ sui exilitate grandescenti; nostros visus & stupores nobilius rapit opus, in quo nimirum ornando, primi Gloriâ, maximi industriâ Artifices, Natura & Virtus totas peritiæ suæ consumpsêre curas, totos honesti est decori impendêre colores. Et verò ternis etiam hîc decisum lineis, in quibus tamen & omnimodæ pulchritudinis terminata est superficies, & miro vtriusq; artificis parallello, æquatus est naturæ donis virtutis honos. Spectemus inprimis ludentis Naturæ prima rudiméta, quæ pulcherrimo Ducalis ac Senatorij sanguinis dú ducit Ostro, dum insignem Illustrissimi Generis, in ANGELA FEBRONIA trahit Lineam, quis edisserat? quantos sæculorum splendores, ipso primi Orbis tractu eidem illeuit? quanta lumina primâ statim facie accendit? à solâ paternâ KONIECPOLSCIORVM stirpe tantum in eam gloriæ genethliaco clarissimi sanguinis deriuatum est affluxu, vt totam scripturientis sepiæ necesse sit exhauriri capacitatem, priusquam vel extimas KONIECPOLSCIORVM decoris delibet guttas. Superat amplitudine sua omnes facundæ audaciæ metas Domus hæc, quæ sæculorum complexa ambitum, annos tantùm non senium nouit; & viridi semper vegetâq; fæcunditate in vberes Magnorum Procerum prouentus iuuenescit; Illi verius adscripserim quod fabuloso Hecates commentus est luco Maro,

Primo auulso non deficit alter

Aureus & simili frondescit virga metallo.

Non tendam in longinqua calamum, neque Heroes illos magnitudine suâ ac sæculorum mole intectos euoluam, satis decorum præsens ætas tulit, quæ amplissimis Magnorum Procerum non modo effloruit sed pænè luxuriauit incrementis. Vnus Illustrissimæ ANGELÆ Auus ALEXANDER KONIECPOLSKI, tantos Orbe Polono & ipse diffudit & in quinâ prole accendit fulgores, quantos effæta cæterarum gentium senectus, vix Platonicâ annorum parturit reuolutione. Palatinus ille Siradiæ, per minores primum exercitus fasces, eam Senatui Polono consumatæ prudentiæ intulerat maiestatem, quæ si iterum Cynea Iudice, vt olim Romæ spectaretur, Regij apicis specimen exhiberet. Calchantem aut Nestora crederes, dum & ora prisca grauitate verenda, & verba ponderibus librata, & consilia ad momentum sublimis iudicij exacta sentires. Verum nihil magis

magis gloriam eius quam Proles auxit, numero æquè ac Genio insignis, quæque vti magnam ætati suæ admirationem attulit, ita maiorem venturo æuo mirandi necessitatem imponet: quinos an vnum diceres in ambiguo hæret; ita enim omnes eadem animati visebantur mente ac virtute vt vnus credi possent; ita singuli præclaris eminebāt gestis, vt reproducti in seipsos pulchrâ virtutis repetitione vniuersi viderentur. Iterum hîc Fasti & Iliades, nam quilibet ex his Achilles suum Homerum, quilibet Cyrus suum Xenophonta poscit: Sed quia vmbras delineandæ Illustrissimæ ANGELæ ducere, non annales pangere cæpimus, obducantur interim venerabundo silentij velo, quos vmbratile hoc Theatrum non capit; & habeant vel inde magnum magnitudinis suæ monumentum, quod exilis parcitate elogij circumscribi non possint. Illud duntaxat felicissimum par tacitus præterire nequeo, quod ad laudes Illustrissimæ ANGELÆ, naturæ & gloriæ ordine propius aduolui cerno, Parentem nimirum eiusdem ac Patruum, illum supremum Regni Vexilliferum & Belzensem Palatinum, hunc summum exercituum eiusdem Regni Archistrategum. Non sanguis modo illos, sed amor, & quæ omnes transcendit nexus, virtus bellis periculisque infracta fecerat Germanos; Vbique indiuisi, vbique fratres, dum labores & discrimina secum partiuntur, gloriam simul vnanimes rapuêre. Et quis mundi limes KONIECPOLSCIO nomine non insonuit? quas gentes fama & gloria illorum non intrauit? quæ STANISLAO Duce, CHRISTOPHORO Comite orbem peruagata, tàm inuictum illum Herculem, quàm hunc discriminum æmulum Theseum, totis vulgauit Trionibus. Audit adhuc & attremit Nomini isti barbarus Thracum Bosphorus, & KONIECPOLSCIANI lusus, mæsta relegens vestigia, timet Nomina fatis alienis ludentia; Abassiumque suum octuaginta millibus ferocientem, inter busta requirit, ad vnius KONIECPOLSCIANÆ musicæ festa sed feralia tripudia, sibaritica circumactum & captum choreâ. Audit pigra Sueciæ Arctos, & pauore etiam, non modo natiuo frigore glaciatur; dum Gustauum illum, Regum terroribus, Regnorum cladibus, ac exterminijs insuetum, ad solam KONIECPOLSCII Nominis famam subductâ campis acie palpitare, & coram isto demum Annibale, cunctatorem Fabium in congrediendo agere, qui ante fulmen belli audierat, videt. Audit Tyras & Borysthenes cladibus pariter Cosacorum ac victorijs KONIECPOL-

SCIO-

SCIORVM famosi amnes, & per vastos Vkrainæ campos assibilant Nomini, ex ipsâ rebellis eluuie cruoris, in gloriam crescenti. Tantarum hæres laudum Illustrissima ANGELA, splendet deriuatis ab inclyto sanguine fulgoribus, & Paterni Nominis irradiata lumine, gloriosam maiorum in seipsâ circumfert pompam. Quid Maternum memorem genus? quod à magno vsque tractum KORIBVTO longam Principum Ducumque seriem, primis Illustrissimæ ANGELÆ cunis stitit, & integra purpurati splendoris agmina nascentis honori auctorauit. Absiste hîc præcipitis facundiæ temeritas, & vocali adhuc habenas licentiæ; longius Gentilitius Ducum de ZBARAZ in PORYCKO Eques, Famæ & Gloriæ inuectus est, quam vt audacis pennæ remige assequaris: Altiores domestica eorum Luna honorum intrauit Tropicos, quam vt exquisitâ dicacitate, Gradus ac eleuationes eiusdem supputare valeas. Perhorruit semper æmulam, sæpius etiam submissis cornibus adorauit victricem ac maioribus elatam cyclis superba licet Othomanidum Luna; & quæ ab illo arcuato vultu, in totius orbis complendum imminet gyrum, KORIBVTEÆ congressa Cynthiæ, suorum plerumque decrescere coacta est damno segminum. Campo nimirum & prælio, non saltibus & venabulo bellatrix KORIBVTORVM insueuit Hecate; & sub istius Lunæ concauo, non fictæ Platonis latent Ideæ, sed viua Heroum per omnem virtutis rigorem firmatorum nascuntur exemplaria. Frustra deses Eudymio, natali infossam casæ, edormire suetus ætatem, secundos sibi Cynthiæ huius fauores appromittat: frustra ignauus Caligula, & in sola concharum pelagi animosus bella, hanc Lunam in amplexus euocet; fortes Genethliacum hoc sidus appetit atque facit, & quotquot KORIBVTEI radijs afflati sunt Astri, sicut altos semper, multâque virtute grauidos spiritus, de benigni sideris influxu accepêre, ita eosdem Patriæ & famæ, per ingentes ausus reddidêre. En pulchrum in Illustrissima ANGELA FEBRONIA schema, quæ felicem fortunatissimi huius sideris nacta horoscopum, & Mitratæ excellentiæ titulis circumflua, Heroicum illum genium quem è natiuo hausit Planeta, virtutum deinceps ornamentis ita expoliuit, vt insignem Ducum de ZBARAZ in PORYCKO sanguinem aucto propriarum laudum censu, gloriosè insigniret. Atque hîc iam mihi subducto sipario, nobilior patet area, & artifex sese offert virtus, quæ mentem Illustrissimæ ANGELÆ per

per omnigena gloriæ pigmenta coluit ac exornauit. Pulcher equidem totius orbis iudicio, Generosi sanguinis color est, qui nobiles animos venerandis maiorum comit imaginibus; sed fateri necessùm est illustri ortu primas tantùmmodo magnæ gloriæ designari vmbras, vel ad summum duci lineas, quas degener sæpe nepos segni vitâ deterit, interdum etiam turpi decolorat: in virtutis demum officinâ illi incrustantur fulgores, quos nec annosa ætatum caries, nec supersperſus à morte puluis infuscet, sæculisûe ac mundi spectaculis eximat. Ab hac Magistræ virtutis manu, illa defluxêre in Illustrissimam ANGELAM lumina, quæ pendulus admiratione gestorum mundus, recenti semper legit auiditate, prosecutus est laudatione. Conde hîc tua primæ infantiæ portenta, ad leues interdum rudi stupore defixa fabulas antiquitas; quid enim magni? quod Diuinus Plato tota infantili ore aluearia circumtulerit, coactisque in sua mellificia apibus mellitus aliquando Orator, sedem in linguâ dederit? quid magni quod commeantibus formicis Cræsus, parata in puerilibus labris granaria exhibuerit, & ab illo laboriosi agminis cætu, vectigale frumentum adhuc pusio exegerit? quid magni quod Achilles pæne lactis materni expers, medullis ceruorum increuerit, & cognatâ agilitate nutritios suos exæquârit? Ferarum hi pastus non benè humanos aluêre mores; felicioris multo nutricis cæleste experta est vber Illustrissima ANGELA, nobilioris gerulæ baiulam sensit manum, quæ in virtutis cunis circumlata, ipsius Ambrosio nectare enutrita, tam viuido semper omnimodæ probitatis abundauit succo, vt virtutis color è totâ vitæ eius symmetriâ per actus gestusque transpareret. Quisquis inspersas formosi vultus niuibus, rubei pudoris spectauit rosas, quisquis oculos pietatem euibrantes, genas lege modestiæ compositas, frontem nullo tumentis supercilij nubilo atratam inexpletus spectator attendit, laudator simul accessit; magnumque ingeniosæ virtutis opus, quæ totam se raro artificio in vno Illustrissimæ ANGELÆ concentrauit vultu, liberalissimâ confessione prædicauit. Nec vero ab origine suâ desciscere, aut tantis Illustrissimæ stirpis fulgoribus discolor esse poterat, quam sic ad omnem, perfectæ probitatis effigiem & congeniti aptabant inclyti sanguinis ignieuli, & domestici vrgebant Auitæ virtutis stimuli. Amplissimis instructa Doctoribus Maioribus suis, eorum exempla in gerendorum traxit rudimenta; &

 ad pa-

ad patriæ Prototypa virtutis, ita pulchro ordine ac normâ, vitæ ſuæ exegit limauitque ſimulachrum, vt in eius geſtis tanta illa Purpurati Mitratique Senatus agmina, ab artifice virtute transſumpta legerentur. Nimius eſsem ſi per omnia virtutum Illuſtriſsimæ ANGELÆ lineamenta ſpectantium viſus & deficientem calamum circumducerem; paucis duntaxat quonam colore cæli ac Numinis fauores pellexerit, quo terræ & hominum amores attinuerit, aperiam. Gratiſsimus imprimis cælis & Superis pietatis ſuccus eſt, quo tinctæ mentes, tremulas ac nictantes decoris ſui flammas ſupremæ pulchritudini ſubmittunt, Religioſoque cultu Diuinæ potentiæ famulitium augent: tunc enim mortalis maieſtatis culmen candidius effulget, cum ſub illius ſummæ lucis radijs, faſtuoſos mũdanæ apparentiæ fucos deponit, & titulos ac imperia ſuperis ac ſacris ſeruire cõdocefacit. O quis hîc ediſserat, quam pænè nimia in hoc pietatis habitu Illuſtriſsima ANGELA fuerit! quæ miris in æterna rapta affectibus, hoc vnum totis vitæ egit impendijs, vt dignitatem quam pleriq; habent deſidiæ illicem, ipſa laborioſæ Pietatis redderet pediſsequam, & dilatando Numinis cultui, vires ſimul ac Honores ſuos mancipare: Hinc illi ſæpè continuati precibus dies, Hinc impleta donarijs templa, fugata Xenodochiorum egeſtas, exciti in laudes Dei per ſtipendia Aſcetarum Chori, atq; illud totis magnæ Potentiæ actum niſibus, vt hæc ipſa Potentia Omnipotenti famula ſiſteretur, & ad Nutum Numinis, per temporalia bona ſummo Bono militaret. Iam ſi quonam illicio terrarum & hominum affectus captiuârit, quo virtutis (vt ita dicam) præſtigio mentes omnium circumegerit noſse cupitis? rarum illud in Principe, popularibus etiam animis ſæpè ignotum, Modeſtiæ decus, & deflexum ad menſuram & vota, vel infimorum tantæ Maieſtatis apicem intueamini: quidni enim illi cuncti, ac ſi Herculeâ nexi traherentur catenâ, circumpedes plauſus & fauores ſuos addicerent? quæ omnibus æquabilis, omnibus obuia, facili affatu, modeſto ſenſu, decliui ad neceſsitates cuiuſq; faſtigio, vultu minimè per tumores aſperato, Maieſtati comitatem, raro ſed pulchro temperamento ſociârit. Vetus ille aucupandis affectibus viſcus eſt, ad captum & vſum multitudinis potentiam aptare, detractâq; ſuperbiâ fortunam ſuam in planum deducere;

Publi-

Publicus hinc (aiebat Poeta) ardeſcit amor cum moribus æquis,
Inclinat populo Regale modeſtia culmen.

Sed quam aliter hodie pleriq;? qui in nimios abſtruſi faſtus, magnitudinem ſuam & faciunt inacceſsam, & reddunt inuiſam; dumque vultu tetrico, ſupercilio adducto, oculo altùm tuente, occurrere minorum affectibus dedignantur, odijs merguntur. Equidem indiuiſa felicium pediſsequa (Pacato teſte) eſt ſuperbia, & vix cuiquam contigit abundare fortunâ, ac indigere arrogantiâ; grande tamen id anguſti animi, malæque fortunæ ſuæ cohærentis indicium eſt, ſi magnitudine ſuâ diffluat, & qui firmis potentiæ libratus momentis ſtare debuerat, ad vnius auræ leuem impulſum tumenti vanitate nutet. Altiori multò ſede deductam mentem Illuſtriſsima ANGELA præſetulit, quæ nullo temporariæ potentiæ capta faſcino, felicitati ſuæ modum imponere, eamque non faſtu ſed vſu metiri ſciuit; acceſſu comis, vultu lenis, blanda alloquio, prompta officio, & ita omnium neceſsitatibus benignâ diſpenſatione ſeſe partiens, vt vel inde dignam fortunâ ſua crederes, quod fortunæ cedere, rapique cæcæ huius Deæ volubilitate non pateretur. Tam inſigne naturæ virtutiſque miraculum, vt melius æternitatem pateretur, & gratiore ſpectaculo mentes omnium diſtineret, placuit vltimam coniugalis amoris lineam ſuperaddi, quæ ſociatis magnæ Domus ornamentis, impleret operis ſummam orbis expectationem. Quantorum hîc certauêre vota & ſtudia, vt exemplar illud pulchritudinis, Templum pudoris, in vitæ fortunæq; ſuæ conſortia tranſiret? Quantæ felici Hymæneo cecidêre victimæ, vt per iugales tædas, amoris & tantæ lucis incrementa thalamis inferret? ſed Tibi iam olim Decus hoc parabatur Illuſtriſſime IOANNES de Pieskowa Skálá WIELOPOLSKI, qui generis ac virtutis æquatus dotibus, morumque præcellentiâ ac Indolis ſuauitate, pari illi deſtinatus, ſic Illuſtriſsimam ANGELAM FEBRONIAM Patrio proprioque ſplendore circumfluam, in felicis connubij iura accepiſti, vt illatam Domui Tuæ lucem, nouæ lucis auxeſi penſares, & reflexum ſplendorem potiore ſplendorum affluxu intenderes. Habetis id magna Nomina, quod ſociata Familiarum Veſtrarum decora ad Pronubas coniugij faces magis euibrent, & per mutua collatæ ad inuicem gloriæ additamenta plenius increſcant; vt enim gemmarum diuites venæ auri fulgore pretiantur, & gloriam pulchritudinis capiunt,

 ſi nullâ

ſi nullâ degeneri vicinitate ſordeſcunt; vt Planetarum vires ſimilibus maritatæ Planetis, in maiora incendia ſurgunt, & fortunatos affluxus illo coniugati luminis nexu terris parturiunt; ſic dignitates Veſtræ quas Nobilis Parentela, æterno connubij fœdere catenat, alternis adiuuantur, & de additâ vtrinque venuſtate pulchreſcunt. Quam grato hodie ſpectaculo, quam auguſtâ ſpecie tuentium laceſsit viſus Illuſtriſsima ANGELA FEBRONIA? quæ præter domeſticæ gloriæ pompam, totâ celeberrimæ WIELOPOLSCIORVM ſtirpis luce, circumfunditur; quæ eâdem manu, quâ amori ſacramentum dicit, integram WIELOPOLSCIORVM famam cum nomine ad ornamentum ſui rapit. Non ſoli vt video Aegirenſes Fortunam & Amorem communi clausêre Templo, non ſoli bina hæc Numina ijſdem conciliauêre Aris; etiam Illuſtriſsimæ ANGELÆ FEBRONIÆ par nexus obtigit, quæ coniugali litando Amori, Fortunam comitem attraxit, & Inclytis WIELOPOLSCIORVM illata penetralibus, Amore præduce fortunatam tanti Nominis & Gloriæ hæreditatem adijt. O quanta hîc laudum congeries! quantus Familiæ honos! quæ indefeſsâ vbertate, tot iam exactis ſæculis, ſimul ſplēdet claritate virtutis, & copiâ honoris: producit perpetuâ ſcaturigine nobilis vena Primarios, & inuariatâ fœcunditate, in continuos magnorum prouentus attollitur; *Neſcit inde* (vtar verbis Caſsiodori) *aliquid naſci mediocre*; *tot probati quot geniti, & quod difficile prouenit electa frequentia.* Non vacat altiora ſequi, & ſeculorum adyta leuis pennæ temeritate incurſare, quæ enim hîc facundia ſuarum mole laudum, exæquet copiam laudandorum? de Tuæ duntaxat Paternæque lucis radijs Illuſtriſsime DAPIFER Regni paucula libabo, quæ in ornamentum Illuſtriſsimæ ANGELÆ FEBRONIÆ ſemper Tuæ, quo maiore paratu orbis prouocet admirationem, transferam. Vapulabit ſcio modeſtus vtriuſque Veſtrum rubor, ipſo laudum ſuarum obiectu perlectus, ſed ſi ad leges pudoris Orationem ſubmitterem, multum de gloriâ Illuſtriſsimæ ANGELÆ FEBRONIÆ, multum de communis Patriæ commodis tantarum ſuppreſsione virtutum decerperem. Et vero taceamus nos vt lubet, ac verecundiæ veſtræ intra ſolam recti &honeſti conſcientiam latere cupienti morem gerentes, captiuam in mutis compedibus addicamus eloquentiam; velocior profecto geſtorum veſtrorum fama eſt, quam vt per affectata conticinia rareſcere

reſcere

reſcere valeat, audiri deſinat. Ibit conſono omnium elatus plauſu, per præſentis æui gloriam, ſecuturi memoriam, famâ omnium maior, Illuſtriſsimus Parens Tuus IOANNES de Pieskowa Skála WIELOPOLSKI Caſtellanus Woynicenſis Warſauienſis Capitaneus; & ſeruatæ Patriæ grande Decus, communibus ſuffragijs feret, qui turbulentiſsimo Reipublicæ ſtatu, cunctis in fata ſua ruentibus, impelli communi motu non potuit, ſed fractum capitique ſuo illabentem Sarmaticum Orbem, impauidus Athlas ſuſtinuit. Horret ad ſolam temporis illius memoriam, nondum plenè obductas reſpectans malorum cicatrices Patria, quo verſi in viſcera matris, fataque ſua Lechiadæ, Cadmeia magis quam Sarmatica proles dici meruerant; quia ferali diſsidio in mutua animoſi vulnera, etiam tum inſigni amentiâ, Patriæ obſequia ſimulabant, cum Patriam, hoſtilibus accenſi partibus, ſublatam irent. Miſerrima profectò tunc liberè inſanientium viſebatur vertigo, quando Borealis illa Circe, adeo ſuis omnes incantârat dolis, vt mirâ Patrij moris tacti nauſeâ, cæco impetu peregrinas formas animoſque induerent, & pudendâ Polono nomini metamorphoſi, in Arctica iura ac ſacramenta immigrarent. Communem furentis Syrij vredinem, Lechicis apicibus ſupercecidiſſe credidimus, qui blandioris Fortunæ Sole per Suetici Leonis gradus errante, tantos per Poloniam animorum æſtus cieri, tanta ſani conſilij ac cerebri deliquia feruere vidimus. Sed enim defecêre ſuæ artes, delibutaque venenatis fraudibus carmina Arcticam Circem, quando in cautum & natiuâ armatum conſtantiâ impegit Vlyſſem Illuſtriſsimum Parentem Tuum; refrixit dexter illa Martis & allucentis Fortunæ in Gothicâ eleuatione conſtitutæ ardor, nec quidquam totis magnæ potentiæ, maioris verſutiæ eualuit viribus, vt teſtatiſsimæ virtutis Senatorem, Mente, Fide, Libertate, ac piâ pertinaciâ dimoueret; ſtetit ille dolis imperuius, minis infractus, & toto Suetici Gradiui fremitu maior, ad indecora à fide transfugia deijci non potuit. Gemina olim futuri imperij portenta Iulio Cæſari prælusiſſe Tranquillus memorat; alterum quod Equum effigiatis in humanæ manus ſpeciem vngulis mirandum, primus ad frena vocârit, & alterius ſeſſoris impatientem ſolus conſcenderit; alterum quod adhuc moliminum ambiguus, ac ripæ Rubiconis fluuij, qui Italiam à Gallijs diſterminat, incerto nutantis animi fluctu inerrans, impulſore fluuiatili

 Trito-

Tritone, qui inflato cornu, & monſtrato vado, ſignum inuadendæ Italiæ extulerat, vocantia ad imperium fata ſecutus ſit. Felicem ſanè & Iulio parem aliquando futurum CAROLVM GVSTAVVM Sueciæ Regem, ſi paribus initijs imperio initiari, ſi conſimili ominum auguriorumque euentu, Throno Lechico inaugurari potuiſſet. Sed enim vtrinque eluſæ fædifragi ſpes, eliſæ res; Nam & SRZENIAVIVS AMNIS ſolito gloriæ tumens alueo, callidi hoſtis moliminibus, totis ſinuoſi in omnes partes natiui flexus occurrit Mæandris; & WIELOPOLSCIVS SONIPES, campo ac libertati innutritus, demulcentem ſed per ipſa illicia ad frena vocantem manum, vt ſagax agnouit, vt fortis ac Generoſus depulit. Ita demum circumacta eſt Sueticæ Arctos expectatio, quæ triumphali ad orbis regimen euecta plauſtro, illinc obſtante MAGNO FLVMINE cuius lauacro tingi non potuit, ad natiuos Axes hærere coacta eſt; hinc detrectante habenas WIELOPOLSCIORVM EQVO, & pigri Bootæ cruda excutientie lora, vltra ſuum Polum, confuſis paſsibus eniti non valuit. Frenet licet Sueticus Aquilo imminentes Trionibus ſuis vrſas, cicuratos armis ſuis præferat Leones, Generoſiſsimo WIELOPOLSCIORVM EQVO, neſcijt niſi ad clades vehi: quoties Auitum hoc clariſsimæ Domus ſidus ſuperbo frigidæ Arctos eſsedo vires ac conſilia ſua admouit, toties propiorem ignoto ſibi occaſui fecit, & Phaetontem ac flammas Borealibus etiam niuibus intulit. Fuerit quondam fabula Arcton ac circumuolutum illi ſerpentem à deerranribus ſolis arſiſſe equis, & vt cecinit Pöeta

Tum primum radijs gelidos caluiſſe Triones.

noſtra rei veritatem firmârunt ſæcula, quæ prouectum in viſcera Sueciæ à Generoſo WIELOPOLSCIORVM SONIPEDE Martem, iniectas Aquiloni faces, ſparſa vrbibus incendia, zonamque torridam Arctico inductam Polo viderunt. Cui enim alteri debeat Sarmatia, aſcribat ac imputet Orbis? quod Germaniam Sueciæ commiſimus, quod Lechicas Auſtriacaſque Aquilas Ponto intulimus, quod ſociatis cognati exercitus viribus, etiam Balthico mari, ac extremis quibus Boreas clauſus latet Finlandiæ paludibus, ignes & pyras iniecimus, niſi Illuſtriſsimo Caſtellano Woynicenſi, qui firmandis inter cognata regna fæderibus Flamen, ſociando contra communem hoſtem bello Fecialis adhibitus, vtrumque priſcâ grauitate, & momentoſæ

pruden-

prudentiæ pondere ita feliciter peruicit, vt Germanæ Aquilæ Lechicis concolores eſſe inciperent, ac repetito conſanguinearum dextrarum nexu, Imperium Poloniæ militarem manum ſtipularetur. Senſêre tùm Hoſtes, miratus eſt Orbis, in Gentilitio WIELOPOLSCIORVM EQVO, antiqua Pegaſi innouata miracula, & intra vnius Sarmatiæ ambitum, alato hoc SONIPEDE præduce, gemina confecta eſſe monſtra; dum Illuſtriſsimus Caſtellanus Woynicenſis, & Transſyluanæ Meduſæ victorem Perſeum, & Sueticæ Chimæræ validum obijcit Bellerophontem, atque gemina hæu mundi Terriculamenta, geminis Regni ac Imperij viribus, mirâ dexteritate ſociatis, elidit ac eliminat. Ibas tam pulchro iuuentæ ſignatus flore, Paternæ gloriæ interea appendix, olim etiam Coronis, Illuſtriſsime Regni DAPIFER & ſub domeſtica peritiſsimi Chironis diſciplinâ, primæ virtutis ponens Tyrocinium, futurus Achilles grandioribus geſtis præludebas. Regebat Magnus Parens, quos ad magna cum Inclyto ſanguine indiderat impetus, auidoſque Honeſti & Decori igniculos, accendebat Conſilio, formabat exemplo. O quantis id Patriæ actum commodis! quæ iam inde Paternæ experimento delibuta Prudentiæ, haud degenerum in Filio ſuſpectauit mentem; vnde Patriæ conſcientiâ, tuæ propriæ fiduciâ animata virtutis, difficillimo Regni tempore, Spes, Vota, Euenta ſua, nutibus Tuis credidit, & communia Equeſtris Ordinis conſiliorum momenta, libramini Tuo commiſit; ita demum feliciter caſuras Regni huius arbitrata ſortes, ſi Te Aeaco Præſide ſortium publicarum verſaretur vrna, & de bono communi ſummo ſuffragio ſortirêre. Apparuit tunc non benè expectari curſum ætatis in feſtinatione virtutis; nam immaturus æuo, maturus conſilio, ita feliciter plurimis implexam labyrinthis Comitiorum euoluiſti ſeriem, vt dexterrimam Ariadnem Prudentiam, fila hæc texuiſse appareret. Vndabat per ea tempora domeſtico concuſsa turbine Patria, Raptabatur proprijs diſtracta legionibus, metu, ſeditione, diffidentiâ, quæque aliæ in turbido Regnorum ſtatu valeſcunt artes conflictabatur. Te tamen Moderatore Illuſtriſsime Regni DAPIFER, ac Comitiorum Mariſchalco, ita cuncta feralis diſsidij depulſa ſunt nubila, vt ſeram licet, ſeriam tamen optatæ quietis lucem, ac ſerenitatem videamus. Talis ac Tantus, Tuo Paternoque (vt antiquiora omittam) merito, cum eſses Illuſtriſsime DAPIFER

 & No-

& Nominis, Amoris, ac Famæ Sociam Illustrisſimam ANGELAM FEBRONIAM circumduceres, quis ambigat? ſplendores Tuos, in eius ornamentum regeſtos, clariore comptu, ſub augmento ſociatæ lucis, Orbis aſpectus demulſiſſe? verum breues heu delicias! & extinctas in ipſo lucendi limine, tot fertiles luminum faces! heu nimis properam quæ ſpes & vota noſtra decerpſit, Fatorum Inuidiam. Iacet nunc ſolum Nomen, & caſſa animæ vmbra, quondam etiam Lumen, cultaque omnigeno decore ſpecies Illuſtriſsima ANGELA FEBRONIA, leguntur ex tantis ignibus, flebiles fauillæ & nudi cineres; cætera Amoris, Honoriſque Nomina, Inſignia, Titulos liuidus puluis confundit. O nimis inuida Fatorum ſeries, ſummiſque negatum ſtare diu! Deſine tamen æternas leges ſegni fatigare queſtu Illuſtriſsime Regni DAPIFER, viuit ANGELA Tua non morituram exorſa vitam &

Mortales poſtquam exuit actus
Parte ſui meliore viget Maiorq; videri
Cæpit & auguſta fit Maieſtate verenda.

Suſpectat etiam hodie Te ab illis beatæ æternitatis Orbibus, & quam Tibi ſemel cælo teſte dederat vel de cælo tendit ad Te dexteram. Prenſat notas charaſq; manus, non illa quidem ſueto cultu, & plenis gratiarum genis, talis tamen qualem inter offuſas mortis & nigricantis ſepiæ vmbras poſsis recognoſcere. Orpheum agere non potui, vt dilectam Tibi Eurydicen ſedibus Manium excirem; egi Timantem, vt ſub velo ac Cortinâ, exilis huius Encomij intectam peplo, obtutibus Illuſtriſſimæ Dominationis Tuæ ſiſterem. Agnoſces benignus placitam Chariſsimæ Coniugis effigiem, & inter mortales vmbras transparentem, & inter incomptæ eloquentiæ nubila ſuâ ſe luce ſignantem. Equidem hiſpidam ac exanguem intueberis, non lethi tantum, verum & ſcripturientis calami Vitio; verum vt Luna etiam inter deliquia noſcitur, & Sol circumfuſis clauſus nubibus commodius ſpectatur, ita Maieſtas Illuſtriſsimæ ANGELÆ *Tuæ, tam fatali, quam minus facundâ atrata caligine, ſplendidioribus radijs oculos euerberat. Nec vero mihi vt fatear aliud vacabat, quam vt inter occaſus tanti ſideris vmbras legerem, & per eaſdem ſine multo verborum comptu adumbratam Illuſtriſſimam* ANGELAM *exhiberem: quis enim tot ſplendores ſecluſo vmbraculo paginæ intulerit? aut exactam plenamque Magnæ Gloriæ imaginem, abſq; vmbrarum adminiculo perfecerit? Facilius Magna vmbris innoteſcunt, quas ipſa mole late proyci-*

proijciunt. Has dum ego à morte Illustrißimæ ANGELÆ FEBRONIÆ *relego, eò magis confidenter ad lucem Illustrißimæ Dominationis Vestræ propero, gnarus seclusâ luce vmbras vanescere. Non negabis spero benignos fauoris radios Illustrißimæ* ANGELÆ *Tuæ, feralibus simul & verbalibus vmbris interstinctæ, lucem tamen adhuc ex vmbrâ videre ambienti. Quodsi minus dolentibus oculis ad placitum accidet ornatißima quondam, Hodie omni spoliata Mundo Illustrißima* ANGELA; *dabit aliquod etiam hic interiecta decori eius vmbra Solatium, quæ vix figuram & habitum, non vero ornatuum illicia exprimere nouit. In reliquo Tota Illustrißimæ* ANGELÆ *Tuæ cum geminis Crudelis Libitinæ, ac vmbratilis eloquentiæ vmbris luctanti Dos erit à Luce Tua Illustrißime Dapifer Regni; Quam si propius operi huic aduerteris, & illa sub obtentu Illustrissimi Nominis Tui Clarior, & mea rudis eloquentia minus vmbrosa apparebit.*

DIXI.